



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum,  
nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia  
excusarum, || Pars ...**

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliae  
aliquot piaë, ante hoc tempus excusæ nusquam

Pars Aestivalis

**Haimo <Altissiodorensis>**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Coloniae, 1551**

**VD16 H 222**

In natiuitate S. Ioh. baptistæ

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39335**

car Iohānes, qui interpretatur gratia dei, q̄a genti-  
lis populus, gratia dei subueniente, saluari meruit,  
non suis meritis, sed sicut Paulus dicit: Gratia dei  
saluæ factæ sunt gentes. Imitemur ergo hos dei **Eph. 2.**  
apostolos, ut per gratiam ipsius mereamur salua-  
ri, quemadmodum & illi. Quod ipse præstare di-  
gnetur, qui sine fine uiuit & regnat &c.

IN NATIVITATE SANCTI

Iohannis Baptista.

Luca. 1.

In illo tempore Elizabeth impletum est  
tempus pariendi, & peperit filium. Et audie-  
runt uicini & cognati eius. Et reliqua.



**N**on solum opera &  
uirtutes sanctorū  
plena sunt admi-  
ratiōibus, sed etiam ipsa  
uerba, quibus ad memo-  
riam posterorum scribū-  
tur, aliquando a myste-  
rijs uacua non sunt, quod  
in exordio huius lectiōis  
euangelista ostendere uo-  
luit, cum præcursoris dñi  
natiuitatem descripturus,  
ait [ Elizabeth impletum

est tempus pariendi, & peperit filium. ] Verbum  
impletionis scriptura sacra in bonorum tantū or-  
tu a c̄tu uel obitu ponere consueuit. Deniq; imple-  
ti sunt dies Mariæ parere filium. Et Elizabeth im-  
pletum est tempus pariendi. Et Salomon impleuit  
edificare domum domini. Mortuus est autē Abra **3. Re. 9.**

VV iij



- am, uel alius aliquis patrū, senex & plenus diem.
- Gene. 25* Merito enim in operibus sanctorum impletio cōmemoratur, quia etiam in breui tēpore ad cumulum perfectionis perueniunt, sicut de uno illorū scriptum est: Consummatus in breui expleuit tempora multa, quia placita erāt deo opera illius. ¶ Vt ergo ostenderet euangelista, quantæ perfectionis præcursor domini futur⁹ esset, in ipso ortu natiuitatis eius, uerbū impletionis ponere ratum duxit. At contra dies impiorum inanes & uacui, qui licet longo tempore feliciter uiuūt, nunquam tñ ad cumulū perfectionis perueniunt De quibus Psalmista ait: Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos Et sicut de eorum principe p̄ beatū Iob dicitur, Antequam dies eius impleatur, peribit: & ut incaluerit sol, soluetur de loco suo. Horum umbraticam felicitatem sine perfectione transituram despexerat Psalmista, cum dicebat. Vidi impium superexaltatum, &c.
- Psal. 54.* Et audierunt uicini & cognati eius, quia magnificauit dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabatur ei, ¶ Cōcordat autem hæc euangelistæ narratio, cum præmissa promissione euangelica. Cum enim angelus Zachariæ nasciturum Iohannē promitteret, inter cætera ait: Et erit tibi gaudium & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Nunc autem nato puero, euangelista adiungit, dicens: [Et audierunt uicini & cognati eius, & reli.] Merito enim uicini & cognati Elizabeth congratulabantur, non solum quod in proeecta etate filium genuisset, sed etiam quia ad similitudinem Saræ & Annæ, per re-promissionē cum accepisset. Quod superius euangelista de Za
- Iob, 6.*
- Psal. 36.*

*Luc. 1.*



charia & Elizabeth protulerat, quia erant ambo iusti ante deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus domini sine querela, hoc nunc in illorum operibus demonstrat, cum ait:

Et factum est, in die octauo uenerunt circumcider e puerum, & uocabāt eum nomine patris sui Zachariam. <sup>¶</sup> Præceptum erat in lege, ut infans recens natus, octauo die circumcideretur: ubi declaratur, cum quanto studio alia præcepta legalia obseruabant, qui etiam in huius mandati custodia tam studiosi erant. Hi autem qui conuenerant uicini & cognati, uocabant eum nomine patris sui Zachariam, ut dignitas quæ in patre sene & mutō uidebatur amissa, in filio recuperaretur. Quod autē die circumcisionis nomina pueris imponebantur, ex eo in autoritatem credimus uenisse, quod beatus Abraam patriarcha cum signo circumcisionis, augmentum uel immutationem **Gen. 17** promeruit nominis.

Et respōdens mater eius, dixit: Nequaquā, sed uocabitur Iohannes.

Hæc enim a marito non didicerat, quippe qui ex eo, quod sibi filium nasci nō crediderat, mutus permanebat sed quia ille ab angelo, ista didicerat a spiritu sancto. Decebat enim ut nouæ gratiæ pro eo nouo uocaretur uocabulo, quod ei imponebat diuina electio, non autem carnalis cognatio.

Et dixerunt ad illā: Quia nemo est in cognatione tua, qui uocetur hoc nomine. Innucebant autem patri eius quem uellet uocari eum. Et postulans pugillarem, scripsit di-



**gens: Iohannes est nomen eius.**

Hi qui conuenerant uicini & cognati, quia nomen patris filio imponere uolebant, nec mater ad hoc assensum præbebat, quibus nutibus ualebāt, patrem mutū interrogare satagebāt. At ille postulat pugillarem, id est, stylum scriptorium, quod uerbis non poterat, literis expressit, dicens: Iohannes est nomen eius. ¶ Vbi notandum quia non dixit: Iohannes erit nomen eius, cum futurum uideret, sed Iohannes est nomen eius. Ac si diceret, Nō nos ei imponimus, quia habet uocabulum quod agnouimus, nō quod elegimus. Hoc ergo nomen non tunc primum impositum est, sed antequā nasceretur, quando a Gabriele angelo Zachariæ dictum est: Ne timeas Zacharia, exaudita est oratio tua, & Elizabeth uxor tua pariet tibi filium, & uocabis nomen eius Iohannem. Vbi magnus præcursor domini futur⁹ præmonstratus est, quando eius nomen antequam nasceretur, prædictum est. Nouum enim aliquid in eorum actibus futurum præmonstratur, quibus nomina antea a deo imponuntur, quam corporaliter nascantur: qđ de Isaac & Ismael legimus, de Salomone & Iosia, de Iohanne baptista, & de domino saluatore. Magnus ergo iste Iohannes futurus ostēditur, quia antea nominatus est quam natus. Cui illud conuenire potest, quod diuina uoce Ieremię dicitur: Priusquam te formarem in utero, noui te: & antequam exires de ualua, sanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te. Et illud: Dominus ab utero uocauit me, de uentre matris meę recordatus est nominis mei: & posuit os meū dominus ut gladiū acutum sub umbra manus suę. [Et mirati sunt uniuersi.]

Luc. 1.

Iere. 1.

Isa. 49.



De tali scilicet cōcordia, quod mater uerbis, & pater scriptis in nomē filij concordarent. Mirati sunt tamen maxime, cum in eorum cognatione nemo uocaretur hoc nomine. Apertum est autem illis os eius & lingua eius, & loquebatur.

Merito lingua quam infidelitas unxerat, fides absoluit, ut impleretur quod ab angelo ei dictum fuerat. Pro eo quod nō credidisti uerbis meis, eris mutus, nec poteris loqui usq; in diem quo hæc fiant. Quia enim uox clamantis in deserto nascebatur, merito in eius natiuitate lingua patris, qui prius obmutuerat, absoluitur. Loquebatur autem nō uerba ociosa uel fabulosa, sed benedicens deum. Quia cōsuetudo sanctorum est, ut cum semper benedicant dominum, maxime tunc in eius benedictione ora relaxent, quando ab aliqua tribulatione liberati fuerint. Quod hymnus trium puerorum Dn. 9. pleniter declarat, qui in camino ignis ardentis soluti deambulantes, non solum deum benedicebāt, sed etiā creaturam ad eū laudandum prouocabāt.

Et factus est timor super omnes uicinos eorum, & super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia uerba hæc. Quia præco iudicis nascebatur, non solum uicinis, sed etiam aliorum corda timore commouebantur: & quia audierant illum per reppromissionem angelicam de senepatre & sterili matre natum, & quia uidebant in eius natiuitate linguam patris esse solutam, non solum admiratione, uerum etiā timore corda eorū commota sunt. Vnde & dicunt: Quis putas puer iste erit? Quod est dicere: qualis est? Sed ne putares Iohānem hanc gratiam sua uirtute adeptum esse.



& non per diuinum auxilium, recte subiungitur  
Etenim manus domini erat cum illo.

Manus dñi in scripturis aliquod diuinæ prote-  
ctionis auxilium significat, sicut in Psalmis legitur:  
In manus tuas domine commendo spm̄ meum.

**Psal. 30.**

**Luc. 23.**

Et Zacharias pater eius impletus est spū-  
sancto, & prophetauit. Igitur quia ille natus est,  
qui non solum propheta, sed etiam plusquam pro-  
pheta futurus erat, de quo & saluator ait in euan-  
gelio: Inter natos mulierum nō surrexit maior lo-

**Matt. 11.**

hanne, non solum officium loquendi in eius nati-  
uitate pater recepit, sed etiam spiritu prophetiæ  
repleto, aduentum saluatoris pronunciauit. Quod  
quia uicinum futurum prospexit, prophético mo-  
re quasi iam factum narrauit, dicens:

Benedictus dominus deus Israel, quia ui-  
sitauit & fecit redemptionem plebis suæ.

Vbi considerandum quod duo sunt quæ posuit  
[Visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.] Vi-  
sitatio quippe ad infirmos pertinet, redemptio ad  
captiuos. Visitauit ergo & fecit redemptionem ple-  
bis suæ, per aduentum suum dominus Christus, q̄  
in se credentes & a languore animæ liberauit, & a  
captiuitate diabolica perctoso sanguine redemit.  
Vnde finis huius cantici ita concluditur:

Visitauit nos oriens ex alto. Illuminare  
his, qui in tenebris & in umbra mortis sedēt.

Et rel. Plebi suæ dicit, non quod hanc ueniens su-  
am inuenerit, sed quia eam uisitando & redimen-  
do suam fecerit, sicut ipse per Osee prophetam dī  
cit: Vocabo non plebem meam, & rel. Hæc de na-  
tiuitate præcursoris domini ad literam breuiter dī

**Ose. 2:**



sta sunt. ¶ Spiritualiter cum Iohannis celebratur na-  
 tiuitas, noui testamēti inchoatur sublimitas. A die **Mat. 12**  
 bus enim Iohannis (ait saluator) regnum cælorū  
 uim patitur, & q̄ uim faciunt, diripiūt illud. Con-  
 gratulabantur uicini & cognati Elizabeth in na-  
 tuitate Iohannis, quia gaudium natum est in cæ-  
 lo angelis de ablutione iustorum, domino dicen-  
 te: Gaudium erit coram angelis dei in cælo, &c.  
 Siue congratulabantur uicini & cognati genitrici **Luc. 15.**  
 in ortu noui pueri, quia ecclesia spiritale gaudium  
 habuit, cum fidelem populum per baptismum ge-  
 nuit. Concinit autem gratia noui testamenti, q̄d  
 eiūsdē p̄conis circuncisio octaua die celebratur.  
 Octonarius c̄m numerus ad fidem resurrectionis  
 pertinet, dicente Salomone: Da partes septem, nec **Ecc̄s. 11**  
 nō & octo. Et dominus Iesus Christus octaua die  
 resurgēs a mortuis, nostrā resurrectionē in octa-  
 ua ætate seculi futuram demonstrauit. Recte cum  
 nouum testamentum inchoatur, Iohānes octaua  
 die circunciditur. pulchre etiā natiuitate noui p̄-  
 conis, patris lingua absoluitur, q̄a & spiritualiter  
 sacerdotij dignitas, & ueteris testamenti mysteri-  
 um, quod absconditum & ligatum erat, post dñi  
 resurrectionem manifestatum & declaratum est.  
 Hi autem qui patris nomē puero magis quam Io-  
 hannem imponere uolebant, illam partem popu-  
 li significant, q̄ magis ex operibus legis quam per  
 fidem Christi hominem posse iustificari credebat.  
 Sed mater hæc propheterico spiritu prohibet, dicens:  
 [Nequaquam, sed uocabitur Iohannes.] q̄a eccle-  
 sia eorum ablutionem, quos per baptismum rege-  
 nerat, magis per fidem & gratiam, quam per ope-  
 ra legis posse implere credit. Quod nomen Iohan



**Eph. 2.**  
**Gal. 5.**

nis in nostra lingua sonare uidetur, quia gratia dei  
sue in quo est gratia, interpretatur. Gratia enim dei  
(ait Apollolus) saluæ factæ sunt gētes. Et sicut ali-  
bi ait: Neque circuncisio aliquid ualet, neque præ-  
putium, sed fides quæ per dilectionem operatur.  
Vnde spiritualiter patris nomen puero imponere  
uolentibus, Petrus apostolus cum Elizabeth con-  
tradicit, cū ait: Quid uultis imponere iugū super  
cervices discipulorū, quod neq; nos neq; patres  
nostri portare potuimus: sed per gratiam domini  
Iesu credimus saluari, quem admodum & illi.

**Actu. 15.**

**IN DIE SANCTO APOSTOLO-  
rum Petri & Pauli. Matthæi XVI.**

In illo tempore Venit Iesus in partes Cæ-  
sareæ Philippi, Et reliqua.

**Actu. 12.**  
**Act. 10.**

**C**æsareas tres legimus, duas in terra repro-  
missionis, tertiam uero in Cappadocia. Est  
enim Cæsarea Palæstinæ regionis, in littore  
maris magni, quæ prius Turris Stratouis uocabatur,  
sed postea ab Herode in honorem Cæsaris nobili-  
us reedificata, Cæsarea est appellata. In qua idem  
Herodes in honorem Cæsaris magnificam domū  
albo marmore construxit: ubi Herodes ab angelo  
percussus, eo quod nō dedisset honorem deo, con-  
sumptus a uermibus, expirauit. In hac etiā Corne-  
lius centurio a Simone Petro baptizatus est: in ea  
uero quatuor filiarū Philippi uirginum sepulchra  
usque hodie ostenduntur. Est & alia Cæsarea quæ-  
dam in Cappadocia, de qua Lucas euangelista in  
Actibus apostolorum meminit Descendit Cæsara-  
ream, & salutauit ecclesiam. Tertia autem Cæ-

**Actu. 25**